

voluit. Ex antiquis editionibus primas tenet Aldina, quae ad plerasque fabulas nondum a quoquam satis accurate collata est. Hanc igitur faciendum putavi ut ad singulos versus ipse conferrem. Ceteris editionibus ita me usum videbis, ut virorum doctorum aut interpretationes aut coniecturas denuo ad examen vocarem, maxime autem ad eas lectiones animum intenderem, quas ex libris MSS. enotatas reperissem. Codicum enim dici vix potest quam perfunctoriam editores rationem habuerint, qui haud raro inepta in poeta relinquerent, optimas lectiones in notarum latebras ablegantes. Largam ab hac parte, maxime in carminibus melicis, nouo editori messem relictam esse, documento sunt nuperae Supplicum et Herculis Furentis editiones ab Hermanno curatae. Metrorum enim peritia quum plerisque editoribus aut nulla aut exigua in promptu esset, saepissime bonis lectionibus uti nescierunt. Factum est inde, ut iam-